



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 18. Graves tumultus in Polonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

§. XVIII.

*Graves tumultus in Polonia.*Sæc. XVII.
A. C. 1707.

Non sine summo animi mærore Pontifex per iniquas pacis a Rege Poloniæ cum Sueco initæ conditiones orthodoxæ fidei latius propagandæ spem fuisse intercisam perceperat, ac desuper querulas ad Cardinalem Saxo-Citiensem literas die quinta Martii dederat: Verum ejusdem Pontificis dolor ac curæ magis adhuc augebantur allato nuntio, quod Polonorum Procerum non pauci tam Augusti quam Stanislai imperium detrectantes ad diem vigesimam tertiam Maij Lublini convenire, novumque Regem eligere constituerint. Novis hisce molitionibus acriter obstiterat Szembeckius Archiepiscopus in Regni Primatem ab Augusto nominatus, atque a Papa confirmatus, qui Regni Proceres in comitiis congregatos ad suas partes pertrahere intentus, Suecorum factiosorumque ausus calamo & ore acriter insectatus est: Nihilominus prævaluit Petri Moscoviæ Ducis sollicitatio, qua novum Regem, si Augusto folium reddi non posset, eligi, firmum fixumque habebat, ac propterea jamjam die septima Februarii habito Leopoli conventu

*Kettel. Decan. V.**pag. 464.**Theatr. Europ. t. 18.**pag. 263.*

Pp 5

San-

Sæc. XVII. Sandomiriensem, ut vocant, *fæderationem* confirmari, cunctosque Regni *Proceres* ad liberam novi Regis electionem in comitiis die vigesima quinta Martii celebrandis invitari voluit: Ipse etiam Dux cum suo Filio jamjam die decima nona Februarii in Poloniam venit, & cum Proceribus, quos ante & promissis ad suas partes pertraxerat, foedus jam antea initum innovavit, necnon futuræ electionis libertatem totis viribus propugnaturum se pollicitus est, simulque Sielinskium Archiepiscopum, quem Stanislaus in Regni primatam nominaverat, capi, ac Kievium abduci jussit, incassum reclamantem Clero, qui hunc Præsulem vel Ecclesiastico tribunali vel Pontifici consignari petiit: Equidem futuræ electioni assistebat non modo Stanislaus Rex, sed etiam Clemens Papa, qui Polonos serio hortabatur, ut dimisso novum Regem eligendi proposito Stanislaum, ut pote ab ipsis necnon ab exterorum Principum potissimis agnitum, in sua dignitate tueri satagerent. Insuper Wisnoviskius Princeps ad Stanislaus Suecorumque castra Lithuanas copias pertraxerat, & quamvis coronæ, ut vocant, exercitus pro patria libertate perstaret, die tamen trigesima tertii Julii Poloni Proceres Lublini congregati

Sæc. XVII.
A. C. 1707.

gati promulgato licet interregno decretam novi Regis electionem multiplici dilatione protelabant, conventumque usque ad undecimam Augusti diem differebant, partim quia huic suo consilio sensim plures & plures accessuros, sperabant, partim quia Moscoviæ Duce[m] tædiosa hac cunctatione eo adigere nitebantur, ut Bychoviam arcem hoc anno post acrem obsidionem Lithuanis ereptam, bellicque machinas ex eorum propugnaculis extractas redderet, compensatoque damno per Calmuckos illato, captum Archiepiscopum decentius haberet, donec ejus causa a Pontifice decideretur. Interim Moscoviæ Dux Lissam urbem Stanislao addictam immani deprædatione primo exhaustam, unacum aliis pluribus locis incendi, ipse vero cognito Suecorum adventu Varfaviensem arcem expilari, cunctaque pretiosa in Moscoviæ Metropoli abduci jussit. Vicissim vero Stanislaus Rex Szembekium pro Primate haberi prohibuit, non sine maxima summi Pontificis indignatione, qui etiam interminato anathemate Regem percellere non destitit. Ceterum ferventibus hisce intestinis Polonorum dissidiis totum hoc Regnum tam a Moscis quam a Suecis misere devastatum ultimo excidio proximum erat.

§. XIX.